

phandò comparaverit, & quidem eò plura ac altiora, quò sæpiùs ac profundius in Naturæ arcana, atque intimos recessus intellectus sui lumine atque acumine descenderit, ac in Rerum cognitione majores penitioresque fecerit progressus: quemadmodum idem id etiam omnibus Theologis, quotquot a jactis Christianismi fundamentis ad hæc usque tempora sacris Codicibus enucleandis animum appulerunt, usu venisse, apud omnes in confessò est. Neque enim eadem mensurâ interpretandi facultate præditi fuerunt cuncti: Sed quò quisque ingeniò, doctrinâ, ac cognitione excelluerit, eò dignius S. Literarum Interpretis personam sustinuit, ac plura difficilioraque loca rectius & melius enodavit. Unde suffecerit, hæc cum limitatione (non enim latius necesse est) accipere hoc nostrum argumentum.

Deinde etiam omnem Interpretationem Philosophiæ ope adornatam, aut ejus scrutiniò exploratam probatamque, esse veram ac genuinam, ex eò liquet, quod nullum, à nobis Cap. 3. § ultimò ex Theologis enumeratorum, quæ in interpretandi Normâ desiderantur, requisitorum occurrit, quod Philosophiæ non ad amissim competat. Est enim, cum vera sit, ab omni errandi periculò libera; atque cum fallere nequeat, quævis interpretamentum ad hanc exploratum, ad aliam deinde normam examinare prorsus non opus erit: neque cum immotis, ac flecti nesciis nitatur fundamentis, partium studiò ducetur: Ac denique hominum animo, cum certa sit, atque indubitata assensum extorquere, ac firmam adferre cognitionem poterit.

Præterea vetus est, & vera Vox, & Theologis, quando de Scripturarum Interprete disputant, passim trita: *Unumquemque esse optimum suorum verborum interpretem*: quam Deo etiam tribuunt, & quidem jure optimò, cum in ipsum melius, quàm quenquam mortalium quadret. Hi enim & mendaces, & fallaces sunt, & sæpissimè affectibus abrepti, aut utilitati & commodis suis consulentes, vocabula aliò sensu proferunt, aliò mox explicant. Ille verò, in quem ne mendacii quidem ac fallaciæ umbra cadit, semper, tam in loquendò, quàm interpretandò, unus idemque est, ac manet. Quapropter, cum, ut præcedenti capite diximus, Philosophiæ autor sit, ipsi etiam adscribenda erit omnis interpretatio, quæ, illâ dirigente atque approbante in medium adducitur. Ac proinde illi quoque veræ interpretandi Normæ nomen denegari nullâ poterit ratione.

2. Nec tantum jam allata nostram sententiam stabiliunt argumenta: sed etiam perpetua cujusvis ævi Theologorum comprobatur Praxis. Plerique enim antiquiorum Patrum, ut Justinus Martyr, Dionysius Areopagita, Origenes, aliique, Philosophiæ Platoniciæ addicti, quoties nodus in S. Literis solvendus sese offerebat, non aliâ, quam istâ usi fuerunt normâ. Reliqui, qui omnes ferè Eclectici erant, in Scripturarum locis difficilioribus,